



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

VIII. Priuilegium ecclesiae Pictauensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ANNO
CHRISTI
878.

rem legem præcipimus esse tenendam, quæ a Carolo est constituta pio principe de compositione sacrilegii, videlicet in xxx. libras examinati argenti, id est sexcentorum solidorum summam argenti purissimi. Ideoque quisquis inuentus fuerit reus sacrilegii, istam leuiorem compositionem emendet episcopis ipsis, vel abbatibus, siue personis, ad quas querimonia sacrilegii iuste pertinuerit: & si ipse reus sacrilegii facere noluerit, tamdiu excommunicationi subiaceat, vsquequo prædictam compositionem sexcentorum solidorum persoluat. Et si in hac obstinatione mortuus fuerit, corpus eius cum psalmis & hymnis non deferatur ad sepulturam. Et præcipimus vt in fine codicis legis mundanæ scribatur hæc lex.

17. q. 4.
Quisquis
inuentus.

VIII.

EPISTOLA

IOANNIS PAPÆ VIII.

Priuilegium ecclesiæ Pictaueusis, ne quis eius bona inuadat, & vt ablata restituantur.

Omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, præsentibus scilicet atque futuris.

DIVINO quia Romanum pontificium largitu enitet Epist. iii. vniuersis, illud luce clarius constat, largita defendere cunctis: quoniam indubitati iuris est, semel concessa perenni cultu fore tenenda. Ceterum omnium religiositas, orthodoxorumque pernoscat fidelitas, quod vt relatu quorundam didicimus, Pictaueusis quidem ecclesia, quam diutinus Paganorum hostis persequitur, multa Christianorum iniquorum incommoda patitur, quibus pressuris nos conuenit perdolere, eamdemque nihilo minus tanto facce leuare. Quapropter præcipimus, apostolicaque auctoritate expresse iubemus, quod nemo vestrum, tam sacerdotali ordine perfruens, quamque militare officium tenens, ipsius ecclesiæ Pictaueusis aliquam ecclesiam, aliquodve monasterium, vel prædia ipsi quoquomodo pertinentia inuadere præsumat, vllosve colonos, seruos, ancillasve, contra sui episcopi velle tollere audeat: sed liceat ipsius ecclesiæ Hecfrido videlicet episcopo, suisque successoribus, illa, quæ sui antecessores legitimo tramite canonice auctoritatis habuerunt, sub nostra tuitione habere, & vt

possederunt possidere, & vt ordinauerunt suo arbitrio ordinare, cum consulto consensuque suæ ecclesiæ canonicorum, vt prisca consuetudo dinoscitur, sine vestro vestrorumque obstaculo, & omnium hætenus talia præsummentium. Inter hæc volumus quasque causas prædicto Hecfrido episcopo inde motas in nostra præsentia adducendas. Si quis vero sacerdotum, iudicum, atque sæcularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentauerit, potestate honoris sui ac dignitate percussus apostolico anathemate careat, reumque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel præsumpta correxerit, vel digna pœnitentia illicita acta desseuerit, a sacratissimo corpore Dei Domini ac redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat. Cunctis autem eidem præfatæ ecclesiæ iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi: quatenus & hic fructum bonæ operationis recipiant, & apud summum arbitrum præmia æternæ pacis inueniant. Data III. Kalendas Septembris, indictione XI. Trecis.

IX.

*RECLAMATIO ET PROCLAMATIO HINC MARI,
qui quondam præerat ecclesiæ Laudunensi.*

DOMINE & summe pater patrum, & rector pontificum, Ioannes nomine & meritis vocate, audi vocem proclamationis meæ, & exaudi vocem deprecationis meæ, compassus causæ calamitatis meæ. A Rhemorum archiepiscopo ad Synodum sum vocatus ad Duziacum villam, quam constituit hebdomada prima mensis Augusti, & monuit me de certis causis paratum esse ibidem vt responderem. Ad quam cum festinasssem, violentia hostili in medio itinere segregatus sum ab ouibus meis, priuatus sum & spoliatus omnibus rebus meis, perductus sum ab eisdem hostibus vsque ad præfatam villam. In qua cum consisterem, iam stabat rex Carolus ante ipsum archiepiscopum meum, tenens in manu scripturam, reputans me esse periurum, quia Romam sine sua voluntate miserim, & imputans quod eum accusauerim. Ad quæ idem archiepiscopus me respondere iussit. Cui ego respondi, quia pro his,